

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars tertia, hoc est:
Tractatio evangeliorum tam dominicalium, quam
festivalium, ad recte se sub variis tentationum generibus
gerendum, disposita**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

Dominica VI. post epiphaniam

[urn:nbn:de:bsz:31-126133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126133)

Pfal. 144. v. 12. seqq. Verumpii flagellatur totâ die, & castigatio eorum in matutinis Psal. 73. v. 14. quin & impii premunt pios, ne crescant, dicentes: Venite, & disperdamus eos, ne sint gens, Psal. 83. v. 5. hinc dolore afficiuntur pii, ut dicant: Heu mihi, eò quod peregrinus sim cum Mesech, Psal. 120. v. 1. 6. Confer Psal. 55. vers. 7. quod conspicimus ex exemplo Eliæ, 1. Reg. 19. v. 4. & Pauli, Philip. 1. vers. 23.

Verum confidite Dilecti! messis filiorum Dei brevi orietur: tum zizania, h. e. impii Tyranni & persecutores in fasciculum alligati, igne infernali comburentur: ex aduerso verò iusti, tanquam nobile triticum in fasciculo viventium collecti, 1. Sam. 25. v. 29. in horreum æternæ gloriæ & lætitiæ assumentur: tunc illi, qui hinc seminarunt in lacrymis, cum exultatione metent, Psal. 126. v. 5. Id quod nobis Iesus largiatur, Amen.

DOMINICA VI. POST EPIPHANIAM.

Evangelium Matth. 17 v. 1. -- 8.

EXORDIUM.

CUm Moses pasceret oves Jethro soceri sui, Sacerdotis Madian: & minasset gregem ad interiora deserti, venit ad montem Dei Horeb, apparuitque ei Angelus Domini, in flammâ ignis de medio rubi, & videbat, quod rubus arderet, & non combureretur, Exod. 3. v. 1. seqq.

Hic rubus procul dubio, præter incarnationem Servatoris nostri, ubi mirabilis utriusque naturæ personalis unio facta est, simul præfiguravit præcellentem transfigurationem Christi in monte Thabor.

Rubus ardens est *Θεὸς ὁρατός*. Rubus suo modo humanam naturam, ignis verò divinam repræsentat, Deus enim ignis

consumens est, Deut. 4. v. 24. Unio ignis cum rubo est combinatio divinæ & humanæ naturæ. Ignis per totum rubum se diffundens, significat, totam plenitudinem Divinitatis in Christo inhabitare corporaliter, Col. 2. v. 9. Et veluti ignis rubum non consumsit, sed clarificavit: Ita nec Divinitas Christi inhabitans humanitatem læsit, multò minus planè destruxit, sed potius radiis divinæ Majestatis suæ illustravit, ut visâ gloria ejus, gloria quasi unigeniti à Patre, plenus gratiæ & veritatis, Joh. 1. v. 14.

Maximè verò gloriam suam, in transfiguratione, præsentibus quibusdam discipulis demonstravit, quò in fide eosdem confirmaret, ne scandalū ex profundissimâ ejus.

ejus exinanitione & servi forma caperent: propterea radios gloriæ & Majestatis suæ ipsis commonstrat, ad quam post statum exinanitionis perventurus erat, & transfiguratur corâ ipsis, quoad humanam naturam, non quidem *substantialiter*, sicut Uxor Lothi in statuam salis versa, Gen. 19. v. 26. sed *accidentaliter*, ut nulla servi forma in eo amplius apparuerit, sicut rubus Mosis quoad substantiam non in ignem commutatus, sed per eum tantummodo illustratus fuit: Sic & Christi facies resplenduit sicut Sol, vestimenta autem ejus facta sunt alba, sicut lux, ut præsentis discipuli, non minus ac Moses, rubi ardentis & non comburentis admiratione ideo ducti, in votis habuerint, hanc Christi clarificationem perpetuo conspiciendi.

Videbimus

- I. Triplicem Querelam.
- II. Triplicem Medelam.
- III. Triplicem Cautelam.

II.

Exegesis.

Abundantia gaudiorum est cum vultu tuo: delectationes in dexterâ tuâ usque in æternum, ait Dominus Messias ad Patrem suum cœlestem, Psal. 16. v. ult. hoc ipso confirmans se in passione, fore, ut post eam ad abundantiam divini gaudii exaltatus ad dexteram Dei Patris perventurus sit.

Idem solatium veri Christiani arripere, & ex prælecta Pericope certi esse possunt, quod abundantia gaudiorum, & delectationes in dexterâ Dei usque in æternum futura sint, quorum & ipsi exantlatis vitæ

hujus miseris compotes fient, cum nimirum die ultimo, universalis clarificatio Filiorum Dei futura est, cujus præclarum præludium nobis in ipso Evangelio proponitur, in Petro, qui voluptate ejus mirifice perfusus est, ubi saltem prægustum quendam in transfiguratione Christi habuit. Interea æquo animo gloriosa hæc revelatio Filiorum Dei expectanda nobis est, Rom. 8. v. 19. Patientia enim necessaria est nobis, ut reportemus præmissionem, Hebr. 10. v. 36. nec ægre feramus, cum Christo primum in statu exinanitionis vivere, dum ad statum exaltationis pertingamus. Post sexiduum enim demum ad glorificationem pervenimus, hoc est, post tribulationes exhilaramur, juxta illud: per aspera ad astra, per angusta ad augusta.

Querela respicit

I. *Dierum crucis multitudinem*, post quas corporum nostrorum clarificationem impetramus. Post sex enim dies, inquit Evangelista, assumpsit Jesus Petrum & Jacobum, & Johannem fratrem ejus: & duxit illos in montem excelsum seorsim: & transfiguratus est, ante eos.

Quomodo hi sex dies alias ad senarium mundi millenarium transferantur, alibi ostensum est. Hæc vice ad sex calamitarum dies homini tuteundas applicamus, priusquam ad cœlestem glorificationem ille perveniat.

I. *Est dies conceptionis*, qui vere miserabilis est, si rem accurate trutinamus. Illo enim in peccatis concipimur, Psal. 51. v. 7. super quæ verba Ambrosius: *Antequam nascimur maculamur contagio, antequam usum lucis, originis ipsius excipimus injuriam. Merito ergo David flebiliter deploravit in seipso inquinam-*

menta natura, quod prius in homine inciperet macula, quam vita. Hanc ob causam omnes natura filii iræ sumus & in peccatis mortui, Eph. 2. v. 1. 3. nec non sub peccato divenditi, Rom. 7. v. 14. ut cuilibet cum Bernharo lamentandum: De parentibus illis venio, qui ante me fecerunt damnatum, quam natum. Quicquid enim ex carne natum, caro est, Joh. 3. v. 6. ne dicam de incommodo, quod die conceptionis nostræ inchoatur, ratione obscuri carceris in quo inter stercorea & urinas, sepulti ante quam nati delire scimus.

2. *Dies nativitatis.* Sicut in peccatis concipimur, ita & in peccatis nascimur, Pl. 51. v. 7. propterea omnibus calamitatibus subjecti. Homo enim nascitur ad laborem, ut avis ad volatum, Job. 5. v. 7. Unde simulac in lucem editur, miseriam suam desinet, est enim prima ejus vox, quam emittit, Sap. 7. v. 3. nec abs re dies mortis melior die nativitatis habetur, Eccl. 7. v. 3. Die enim nativitatis miseria nostra incipit, quæ die mortis demum finitur, tunc gaudium vitæ æternæ succedit, quando in fide Christi mundo huic valediximus. Beati enim mortui, qui in Domino moriuntur à modo, Apoc. 14. v. 13.

3. *Dies vita.* Ubi occupatio magna creata est omnibus hominibus, & jugum grave super Filios Adam, à die exitus de ventre matris eorum, usque in diem sepulture, in matrem omnium, Sir. 40. v. 1. 2. & militia est vita hominis, dum vivit, super terram, Job. 7. v. 1. Caro concupiscit adversus Spiritum, Spiritus autem adversus carnem, hæc enim sibi invicem adversantur, ut non quæcumque velimus, illa faciamus, Gal. 5. 17. Et licet condelectemur legi DEI secundum interiorem hominem,

videmus tamen aliam legem in membris nostris, repugnantem legi mentis nostræ, & captivantem nos in lege peccati, quod est in membris nostris, ut vitæ pertæsi exclamemus cum Paulo: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Rom. 7. v. 22. seqq.

Præterea dies vitæ nostræ ærumnis & calamitatibus adeo miscetur, ut licet brevis, tamē mala illa sit, Gen. 47. 6. Pl. 90. 11.

4. *Dies mortis.* Equidem Salomo ait: Dies mortis melior die nativitatis est, Eccl. 7. v. 2. attamen quia mors stipendium peccati, Rom. 6. v. 23. non cum voluptate, sed cum dolore & cruciatu nobis obrepit. Interea perpetuum est sædus hoc mortis quod morieris, Sir. 14. 18. Hic nemo profusus excipitur, in omnes enim homines mors pertransit, quando quidem omnes peccaverunt, Rom. 5. v. 12. Job. 30. v. 23.

5. *Dies corruptionis.* Homo pulvis est, & in pulverem revertetur, Gen. 3. v. 19. id quidem homini horrificum videtur, quod ita corruptioni obnoxius, à vermibus, serpentibus & bufonibus devorandus est, Sir. 10. v. 13. interim si instar tritici revirescentis è tumulis nostris die ultimo propullulare volumus, corruptio minus exhorrescenda est.

6. *Dies judicii,* quo de omni verbo otioso, quod homines locuti sunt, rationem reddent, Matth. 12. v. 36. Nam quæ fiunt, cuncta adducet Deus in judicium, etiam omne occultum, sive bonum, sive malum sit, Eccl. 2. v. ult. cujus recordatione etiam justus pavescit, non enim comparatur Deo homo justificatus: Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere unum de mille, Hiob. 9. v. 2. 3. Psal. 143. v. 3.

Quia vero hominibus semel statutum est

est

est mori, post hoc autem iudicium, Hebr. 5. v. 27. & Christianus Advocatum desiderat, ostendit eundem Johannes inquitens: Si quis peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum, justum & c. 1. Joh. 2. v. 1. 2.

Hi ita sex illi afflictionum dies sunt, qui querelam nobis movere possunt, ubi tamen simul hoc solatium advertendum est, quod post hos sex dies Christus nos sibi adsumpturus, & in excelsum cæli montem seorsum ducturus sit, ut eum in gloria sua intueamur, & ipse transfiguret corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ, secundum operationem virtutis suæ, qua etiam potest subjicere sibi omnia, Phil. 3. v. ult.

Cum Moses cum Deo in monte Sinâ esset, gloria Domini texit illum nube sex diebus: septimo autem die vocavit eum Dominus de medio nubis, locutusque cum eo est, Exod. 24. v. 16. Sic dies illi sex prædicti absconditi sunt obscura tribulationum nube: dum septimo die Dominus loquatur nobiscum, & in plenariam gloriam introducat, tum è sex tribulationibus liberabit nos, & in septima non tanget nos malum, Job. 5. v. 19.

II. *Humane carnis aegritudinem*, quæ inde elucescit, quod quamprimum discipuli Christi vocem Dei de cælo audierunt, proni in faciem ceciderunt, & timuerunt valde, Hanc divinam & Majestaticam vocem humana natura ob imbecillitatem post lapsum ferre nequit.

Equidem ante lapsum Protoplastorum vox Dei adeo horribilis non fuit, & si in statu innocentiae perseveravissemus, Dei vocem & loquelam minime horruissemus,

sicut Adam ante lapsum, Dei vocem bene ferre potuit, vide Gen. 1. v. 28. 29. 30. Verum quamprimum homo à Deo per peccata defecit, inquit Adam: Vocem tuam Domine audivi in Paradiso, & timui, & abscondime, Gen. 3. v. 10. Peccatum igitur in culpa est, quod Deum, velut Numen sanctissimum cum loquela sua ferre non possumus.

Quo vero tanquam *φιλόφυξ* infirmitatem nostram adjuvaret, alium quem sine horrore audire possumus, commendavit nobis, nempe Filium suum dilectum, in quo diebus novissimis locutus est nobis, Hebr. 1. v. 2. is nunc nos non terret voce sua, sed reficit labiis suis mellitis, Matth. 11. vers. 28.

In promulgatione legis populus Dei vocem minime sustinere quibat, ideo dicebat: Loquere tu nobis, & audiemus, non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur, Exod. 20. v. 19. Quæ causa? Dei Majestas & humana infirmitas non invicem consistere possunt, ideo Deus ad salutem nostram promovendam Christum, unicum illum Mediatorem Dei & hominum, 1. Tim. 2. v. 5. nobis proposuit, ut indicet nobis, quid bonum sit, & quid Dominus requirat à nobis: nempe iudicium facere, & diligere misericordiam, & humiliter ambulare cum Deo, Mich. 6. v. 8. ex hâc ipsâ causâ humanitate vestitus est, quo minus eum metueremus, estque magnus ille Propheta, de quo Moses prædixit, Deut. 18. v. 15.

III. *Discipulorum cum Christo solitudinem*. Ut enim discipuli post consternationem aliquantum se colligentes neminem viderunt nisi solum Jesum: Ita omne gaudium

cva-

evanescebat, & Christus in pristina servi forma apparebat.

Unde pater, nullum in hoc mundo gaudium esse perpetuum, sed mox interrumpi Christus in sinu Patris cœlestis, nil nisi gaudium & lætitiā habuit: sed simulac in hunc mundum venit, mœror comes ejus fuit. Et quamvis in diebus carnis, imprimis in transfiguratione hęc, gloriam suam non nihil manifestavit, attamen continuo actum fuit de ea. Ut enim Apostoli eam per nebulam quasi adspexerunt, vix gaudium hinc concipientes, rursus eo privati sunt, soli cum Christo, ut antea, variis ærumnis expositi.

Similem gloriam Jacob per somnium vidit, ubi scalam cœlestem conspexit, quo gaudio tamen & ipse post breve interval- lum, ut evigilavit, caruit, Gen. 32. vers. 10. seqq.

Idem Paulo quoque accidit, raptus enim est in Paradisum & audivit verba *ap̄p̄ta*, 2. Cor. 12. v. 4. sed mox solus reli- ctus, stimulum carnis, Angelum Satanæ colaphizantem se sensit, ne magnitudine revelationum extolleretur, 2. Cor. 12. v. 7. Quamdiu igitur carne peccatis infecta o- nerati sumus, nullum constans gaudium cœleste expectare licet.

Eodem modo comparatum est, cum externo mundi gaudio & felicitate, quæ inopinatò derelinquit nos, sicut Hiob id expertus est, qui principio gloria & divitiis inclytus, c. 1. v. 3. paulo post in ærumnis ab omnibus amicis suis desertus est, ut ipse conqueritur, c. 19. v. 13. seqq. ut non abs re Siracides dicat: In infortunio etiam amicus secedit, Sir. 12. v. 9.

Quia igitur hęc nullum perpetuum gau-

dium sperare possumus, cur igitur filii hu- jus seculi in eo confidunt? cum tamen va- nitas vanitatum & omnia vanitas, Eccles. 1. v. 1. Quilibet proinde æternum illud gaudium anhelet, quod Deus præparavit his, qui diligunt illum, 1. Cor. 2. v. 9.

Quæcunque mundus suspicit,
Aurum licet transcenderit,
Mundana gloria,
Durat momento vix brevi
Obeſt beatitudini.

Secundo.

Sequitur *Medela*, quæ fluit
SI, Ex suavi cum Sanctis consortio, ad quod in vitâ æternâ pervenimus. Cum Petrus Moſen & Eliam in claritate suâ con- spiceret, præ gaudio vox eum ferme deſ- ciebat.

Quanto magis nos gaudio exultabi- mus, quando non duos Sanctos duntaxat, sed multa millia Angelorum, & electo- rum, qui ab exordio mundi vixerunt, intui- turi sumus, ibi dicemus: Hic mandavit Do- minus benedictionem & vitam usque in seculum, Psal. 133. v. ult.

Ibi offendemus Protoplastos nostros Adamum & Evam, sanctos Patriarchas, Abraham Isaac & Jacob, pios Judices, Re- ges & Prophetas, nec non B. Mariam, san- ctos Apostolos, & in genere omnes ma- jores, parentes, cognatos, liberos, amicos & notos nostros, qui ante nos beate in Domino obdormierunt, unde dies novissi- mus dies plenariæ restitutionis dicitur, Act. 3. v. 21.

Nec modo conveniemus, sed & mutuo agno-

agnoscemus & compellabimus nos, licet visu corporali nunquam in his terris conspexerimus nos, sicut hic Petrus Mosen & Eliam nunquam sibi visos agnovit. Hinc maximum in nobis excitabitur gaudium, absterget enim Deus omnem lacrymam ab oculis nostris, Apoc. 7. v. ult.

Maximo vero afficiemur gaudio, quod societatem habebimus cum Christo, sanctorum sanctissimo, Dan. 9. v. 14. quem videbimus à facie ad faciam, 1. Cor. 13. v. 12, & sicuti est, 1. Joh. 3. v. 2.

Augustini votum fuit, videre: Romam in flore, Paulum in ore, Christum in carne. Quis hoc ultimum, ut Servatorem suum in carne videret, non similiter optaret? Verum quia in hâc vitâ id nunquam fiet, ideo in alteram vitam hoc votum differamus oportet: ubi videbimus eum *sine modo, sine radio, sine termino*, Augustino dicente.

Cum Jacobus cum Christo in assumptâ humanitate luctatus esset, præ gaudio exultavit, dicens: Vidi Dominum, & salva facta est anima mea, Gen. 32. v. 30. Quanto magis anima nostra salva fiet, quando Christum in propriâ specie, sicuti est, visurum sumus, non diem duntaxat, sed in æternum, tum exultabimus lætitiâ inenarrabili, & gloriosâ, reportantes finem fidei nostræ, salutem animarum, 1. Petr. 1. v. 8.

II. *Ex dulci sequenti vitæ gaudio.* Maximo gaudio delibutus est Petrus, ubi transfigurationem Christi, ipse non transfiguratus vidit. Quanto nos gaudio superfluum iri existimatis, quando Christus transfigurabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ, Phil. 3. v. ult.

Gaudium erit *supra nos*, videbimus enim Deum à facie ad faciem, 1. Cor. 13. v. 12.

Gaudium erit *infra nos*. Quando impii in inferno cum Diabolis juste torqueri conspiciemus: ibi stabimus in magnâ constantiâ, adversus eos, qui nos angustiarunt, & qui abstulerunt labores nostros, Sap. 5. v. 1.

Gaudium erit *circa nos*, ratione jucundissimi consortii. Cincti enim erimus choro Angelorum, Archangelorum, & omnium electorum, in quorum societatem adsciscemur.

Gaudium erit *intra nos*, quando pulcherrimum illum ornatum intuebimur, quo Deus & anima & corpore nos decoravit. Ibi locum habebit: Beatus populus, qui scit jubilationem, Psal. 89. v. 16.

Gaudium quoque erit, quia omnibus potiemur, quæcunque desideraverimus.

Desideras sapientiam? ibi perveniemus ad fontem sapientiæ, visuri in Deo omnia, quæ oculus non vidit, auris non audivit, nec in cor hominis ascenderunt, 1. Cor. 2. vers. 9.

Delectaris quiete & pace? ibi hospitium habebis in habitatione pacis, & in requie securitatis, Esa. 32. v. 18.

Afficitis suavi Musica? Ibi Angelorum *ἁγίων* & Beatorum Alleluja audies & concentu tuo ornabis, Esa. 6. v. 3.

Cõcupiscis cibum & potum? ibi vesceris de ligno vitæ in Paradiso Dei, bibes de fluvio puro aquæ vivæ, splendido, tanquam crystallo, procedente de sede Dei & agni, Apoc. 22. v. 1.

Delectaris conversatione Doctõrum? Ibi accedemus ad civitatem Dei viventis, Hierusalem cælestem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & Ecclesiam

primitivorum, qui conscripti sunt in cœlis,
& spiritus perfectorum iustorum, Hebr.
12. v. 23.

Aves gloriam & honorem? Ibi ad amplif-
simos evchemur, futuri cives Sanctorum,
& domestici Dei, Eph. 2. v. 19.

Appetis speciosa aedificia? Ibi pervenimus
in domum Patris cœlestis, in qua Christus
nobis locum paravit, Joh. 14. v. 2.

Anhelas elegantes vestes? Ibi nos cœlestis
spontus cooperiet byssino splendenti &
candido, Apoc. 19. v. 11. & immarcessibili
gloriæ coronâ decorabit, 1. Petr. 5. v. 4.

Ubi sunt gaudia
Nirgend mehr denn da /
Da die Engel singen
Nova Cantica,
Und die Schellen klingen /
In Regis curiâ,
Eja warn wir da.

III. *Ex insigni Christi encomio.* Sic enim
Pater cœlestis de Filio suo ait: Hic est Filius
meus dilectus, in quo mihi bene complacui
hunc audite.

Nos homunciones alias etiam filii &
filia Dei appellamur, verum non id fit per
naturam, quâ sumus filii iræ, Eph. 2. v. 3.
Rom. 3. v. 23. sed per gratiam, in quam nos
per baptismum adsumit, & potestatem
dedit Filios Dei fieri, Joh. 1. v. 12. De ejus-
modi gratiæ filio hîc sermo non est, sed de
filio naturali, quem Deus ab æterno ex ef-
fentia sua genuit, Psal. 2. v. 7.

Hunc Filium suum diligit Pater

1. *Per essentialitatem*, quia unum est cum Pa-
tre: Joh. 10. v. 30.

2. *Propter obedientiam*, quia volunta-
tem ejus fecit, Psal. 40. v. 9. factus ei obe-

diens usque ad mortem, mortem autem
crucis, Phil. 2. v. 8.

Hinc magnum nobis fuit solatium,
Paulus ait: Sunt Christi, qui carnem suam
crucifixerunt, cum affectibus & concupis-
centiis, Gal. 5. v. 24. Et Johannes: In hoc
cognoscimus, quoniam de spiritu suo de-
dit nobis, 1. Joh. 4. v. 13.

Quod si igitur Christi sumus, & ipse in
nobis est, nosque in ipso sumus, nos quo-
que Pater ejus diligit. Uti que diligit nos,
elegit enim nos in Christo ante facta funda-
menta mundi, Eph. 1. v. 4.

Sumus Christi, ratione baptismi, in
quo Christum induimus, Gal. 3. v. 27.

Sumus Christi, ratione cœnæ, in qua no-
bis carnem edendam & sanguinem suum
bibendum exhibet, & consortes divinæ
naturæ facit, 2. Petr. 1. v. 4.

Sumus Christi, quia nos genuit volunta-
rie verbo veritatis, Jac. 1. v. 18.

Et tandem quoque Christi sumus, quia
ipsum genus sumus, Act. 17. v. 28. & ipse vi-
cissim nostri generis, frater & Immanuel
noster, Ebr. 2. v. 14.

Quia igitur tot modis Christi, in quo
Patri cœlesti complacuit, sumus, nihil jam
condemnationis in nobis est, qui in Chri-
sto Jesu sumus, Rom. 8. v. 1.

De Tertio.

Restat *Cantela*, quæ tribus absolvitur
Regulis quarum

1. *Amorem mundi linquito.* Hâc in parte
Petrus exemplo nobis est, qui ubi saltem in
transfiguratione Christi prægustum vitæ
æternæ capit, omnium terrenorum obli-
vione capitur, & unice cœlestibus intentus
inquit:

inquit: Domine, bonum est, nos hinc esse, si vis faciamus hinc tria tabernacula, tibi unum, & Moysi unum, & Eliae unum.

Imitemur hoc exemplum Petri, quaerentes ea, quæ sursum sunt, Col. 3. v. 1. præterit enim figura hujus mundi, 1. Cor. 7. v. 31. In Gr. est vox *ζῆμα*, quæ habitum Comitorum denotat. Vita enim nostra nihil aliud quam fabula aut Comædia est. Mundus Theatrum est, duo habens ostia: per alterū ingredimur nascentes, per alterū egredimur morientes. Sicut igitur fabula brevi finitur: sic & figura hujus mundi, tanquam navis, quæ pertransit fluctuantem aquam, est: cujus, cum præterierit, non est vestigium, Sap. 5. v. 10.

Si quis brevi intervallo pecuniam numerat, Summa non magna est. Atqui Satanam Christo in deserto omnia Regna orbis terræ *ἐν τριμῆν ἡμέραις* ostendisse legimus, Luc. 4. v. 5. hinc facile colligere possumus, mundi gloriam adeo magni æstimandam non esse. Eccur igitur gloriam mundanam tantopere affectamus, qui hic non habemus civitatem manentem, Ebr. 13. v. 14. Potius quilibet suspiret;

Cæli bona
Perstant rata,
Præpriver his
Vitâ bonis:

Vincam juva Deus me.

Fecere hoc David, Psal. 42. v. 1. Assaph. 73. v. 25. Paulus Phil. 1. v. 23.

Horum vestigiis insistentes, mundana promte dimittamus, siquidem transitoria quidem amittimus, sed duratura cum CHRISTO invenimus, ubi non

destituemur omni bono, Psal. 34. vers. 11.

11. *Sequentem vitam crediro.* Quid vita alia post hanc vitam futura sit, verbum Dei sufficienter probat. Pii enim post mortem nanciscuntur vitam gaudio plenissimam, sicut Moses & Elias ex hoc mundo in vitam æternam assumti sunt: ille quidem per mortem temporalem: hic vero curru & equis ignitis. Impii vero & ipsi vita æterna potientur, verum in perpetuo angore & cruciату, ita vivent ut semper moriantur, & morientur ut semper vivant, mors depascet eos in æternum, Psal. 49. v. 15.

Epicurus, gentilis ille Philosophus animam cum corpore interire statuit, hinc Symbolum Epicuri de grege porcorum:

Ede, bibe, lude, post mortem
nulla voluptas.

Cum his conspirarunt Sadducei, qui dixerunt, non esse resurrectionem, neque Angelum, neque Spiritum, Act. 23. v. 8.

Verum horum impietas veritatem non evertit, experientur illi cum damno irreparabili, quod hic credere noluerunt, quando vermis eorum non morietur, & ignis non exstinguetur, Esa. 66. v. ult.

Pii vero Christiani hunc maximo solatio superfunduntur, quia tum omnium miseriarum finem & refrigerium sentient. Tunc stabunt iusti in magna constantia adversus eos, qui se angustia verunt &c. Sap. 5. v. 1. seqq.

Impius sane millies melius esset, si & anima & corpore interirent, nulla que resurrectione futura esset: sed pii consolantur se futura resurrectione, & cōsequente vita æterna, dicentes cum Jobo: Scio quod Redemptor meus vivit, Job. 19. v. 25. seqq.

Qui igitur vita æterna potiri cupit, corde & ore confiteatur: Credo resurrectionem carnis & vitam æternam. Moses enim & Elias, ceu Candidati æternitatis, testantur de vita beata, eaque æterna. Divites vero epulo de æterna infelici vita & tormentis, dum exclamat: Crucior in hac summa, Luc. 16. v. 24.

III. *Sermonem Christi capito.* Sic enim Pater cœlestis: Hic est Filius meus dilectus in quo mihi complacui, hunc audite. Quo ipso Filium suum toti mundo tanquam universalem Doctorem commendat, ut ei obediamus, Deur. 18. v. 15.

Audite igitur eum, eique obedite, omnes homines, quando ait: Quiescite agere perverte, discite bene facere, Esa. 1. v. 16.

Audite eum omnes, qui laboratis, & onerati estis: & venite, ut vos reficiat, Matt. 11. v. 28.

Audite & obedite verbo ejus, quia salvare potest animas vestras, Jac. 1. v. 21.

Audite & obedite ei, quando de cruce

prædicat, ajens: Tollite jugum meum super vos, & discite à me, Matt. 11. vers. 9.

Postquam vero Servator præsentiam visibilem subtraxit nobis, & in cœlum ascendit, & verbi Præcones loco suo ordinavit, ut verbum prædicent, Marc. 16. v. 25. illos non aliter, ac si ipse præsens foret, audiamus. Qui enim vos audit, me audit, ait ipse Luc. 10. v. 16.

Joatham Sichemitas allocuturus, stetit in vertice montis Garitim, elevataque voce clamavit, & dixit: Audite me, Optimates Sichem, ita, ut audiat vos Dominus, Jud. 4. v. 7.

Similiter si & vos Christum, ejusque Ministros audieritis, vos vicissim, quando ad eum clamabitis, audiet, vosque ut obsequentes oviculas, quæ vocem ejus audierunt eumque sequuti sunt, Joh. 10. v. 27. ad se suscipiet, ut eum in vitam æternam sequamini, & ad faciem ad faciem intueamini, 1. Cor. 13. v. 12.

Id quod JESUS nobis largiatur, Amen!

DOMINICA SEPTUAGESIMÆ.

Evangelium Matth. 20. v. 1. - 16.

EXORDIUM.

Fuit olim Naboth Israëlita vinea, juxta palatium Achab Regis Samaria. Hanc expetit sibi Achab permutandam in hortum olerum, quia

vicina erat & prope domum ejus. Quia vero Naboth id tenuit facere, Jezebel uxor Regis prodaxit adversus eum duos viros falsum testimonium dicentes: Benedixit Deum